

De homine generando, & pariendi tempore
per illustria exempla à mensibus se-
ptem, ad undecim: CAP. V.

CAeteris animantibus statum & pariendi, &
partus gerendi tempus est: homo toto anno &
incerto gignitur spatio. Alius septimo mense,
alius octauo, & usq; ad initia decimi undecimiq; . An-
te septimū mensem haud vnquam vitalis est. Septimo
nō nisi pridie posteroūe plenilunij die, aut interlunio
concepti nascuntur. Translatitium in Aegypto est, et
octauo gigni. Iam quidem & in Italia tales partus
esse vitales. Contra prischorum opiniones variant hæc
pluribus modis. Vestilia C. Herdicij, ac postea Pom-
ponij atque Orfiti clarissimorum ciuium coniunx, ex
his quatuor partus enixa, Sempronium septimo mēse
genuit, Suillium Ruffum undecimo, Corbulonem se-
ptimo, vtrunq; consulem: postea Cæsoniam Caij prin-
cipis coniugem, octauo. In quo mensium numero geni-
tis, intra quadragesimum diem maximus labor. Gra-
uidis autem quarto & octauo mense, letalesque in ijs
abortus. Massurius autor est, L. Papyrium prætorē,
secundo hærede lege agente, bonorum possessionem
contra eum dedisse, cum mater partum se xiiij. mensi-
bus diceret tulisse, quoniam nullum certum tempus
pariendi statutum videretur.

De conceptibus, & signa sexus in grauidis
præuenientia partum. CAP. VI.

AConceptu decimo die dolores capitis, oculorū
vertigines tenebræq; , fastidiū in cibis, * redun-
datio stomachi, indices sunt hominis inchoati:
Melior color marē ferenti, et facilior partus, motus in
vtero quadragesimo die. Cōtraria oīa in altero sexu:
Ingestabile onus, crurum & inguinū leuis tumor. Pri-
mus autem xc. die motus. Sed plurimum languoris in
vtrōq; sexu, capillum germinante partu, & in plenilu-
nio: quod tempus editos quoque infantes præcipue in-
festat. Adeoq; incessus, atque omne quicquid dici po-
test, in grauida refert: vt salsiore cibis vsæ, carentē
vnguiculis partum edant: & si respirauere, difficilius
enitantur. Oscitatio quidem in enixu letalis est: sicut
sternuisse à coitu abortiuum.

De cōceptu hominū & generatione. CAP. VII.

Miseret atq; etiam pudet æstimantem q̄ sit fri-
uola animalium superbissimi origo, cum ple-
runq; abortus causa fiat odor à lucernarum
extinctu. His principijs nascuntur tyranni, his carnifex
animus. Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ
munera amplexaris, & te ne alumnū quidē eius exi-
stimas, sed partū: tu cuius semper in uictoria est mens,
tu qui te deum credis aliquo successu tumens, tanti
perire potuisti: atq; etiam hodie minoris potes, quan-
tulo serpentis ictus dente: aut etiam vt Anacreon poe-
ta, acino vix passæ: vt Fabius senator * prætor, in la-
etis haustu vno pilo strangulatus. Is demum profecto
vitam aqua lance pensabit, qui semper fragilitatis
humana memor fuerit.

De Agrippis.

CAP. VIII.

IN pedes procedere nascentem, contra naturā est.
quo argumēto eos appellauere Agrippas, vt ægre
partos: qualiter M. Agrippā ferunt genitū vnico
prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modū
genitis. Quanquam is quoq; aduersa pedū valetudine,
misera iuuenta, exercito æuo inter arma mortesq; , ad
noxia successu, infelici terris stirpe omni, sed p̄ vtrasq;
Agrippinas maxime, quæ Caium & Domitium Ne-
ronem principes genuere totidem faces generis huma-
ni. præterea breuitate æui quinquagesimo vno raptus
anno, in tormentis adulteriorum coniugis, socerique
prægravi seruitio, luisse augurium præposteri natalis
existimatur, Neronem quoq; paulo ante principē, &
toto principatu suo hostem generis humani, pedibus
genitum parens eius scribit Agrippina. Ritu naturæ
capite hominem gigni mos est, pedibus efferi.

Monstruosi partus excili vtero. CAP. IX.

Vspicatus enecta parente gignuntur: Sicut
Scipio Africanus prior natus, primusq; Cæsa-
rum à cæso matris vtero dictus: qua de causa
& Cæsones appellati. Simili modo natus & Manlius,
qui Carthaginem cum exercitu intrauit.

Qui sint Vopisci.

CAP. X.

VOpiscos appellabāt è geminis, qui retēti vtero
nascerētur, altero interempto abortu. Nanq;
maxima, & rara circa hoc miracula existūt.

Exempla numerosa sobolis. CAP. XI.

PRæter mulierem, pauca animalia coitum nouere
grauida. Vñ quidem omnino aut alterū super-
fetat. Extat in monumentis etiā medicorum, &
quibus talia cōsectari cura fuit, vno abortu xij. puer-
peria egesta. Sed vbi paululum tēporis inter duos con-
ceptus intercessit, vterq; perfertur: vt in Hercule &
Iphiclo fratre eius apparuit, & in ea, quæ gemino par-
tu, alterum marito similem, alterum adultero genuit:
Item in Proconnesia ancilla, quæ eiusdem diei coitu,
alterum domino similem, alterū procuratori eius: Et
in alia, quæ vñ iusto partu, quinq; mensium alterum
edidit; Rursus in alia, quæ septem mensium edito puer-
perio, infecutis mensibus geminos enixa est. Iam illa
vulgata, varie ex integris truncos gigni, ex truncis in
tegros, eademq; parte truncos: signa quædā nauosq;
& cicatrices etiam regenerari. Quarto partu Daco-
rum originis nota in brachio redditur.

Exempla similitudinum.

CAP. XII.

IN Lepidorum gente tres, intermisso ordine, obdu-
cto membrana oculo, genitos accepimus. Similes
quidē alios auo: Et ex geminis quoq; alterū patri,
alterum matri: * annoq; post genitum: maiori similem * pauloque
fuisse ut geminū. Quasdam sibi similes semper parere,
quasdam viro, quasdam nulli, quasdam femina patri,
marem sibi. Indubitatum exemplum est Nicæi nobi-
lis pyctæ Byzantiæ geniti, qui adulterio Aethiops na-
ta matre, nil à cæteris colore differente, ipse auum re-
generauit Aethiopem. Similitudinū quidem in mente
g iij reputatio

* redundan-
tia

* pote in